

INDEX APPENDICIS

Litaniæ

Litaniæ de sanctissimo Nomine Jesu	17
Litaniæ de sacratissimo Corde Jesu	18
Litaniæ Lauretanæ B. Mariæ Virg.	20
Litaniæ de S. Joseph	21

Preces diversæ

Oratio S. Augustini edita jussu Urbani Papæ VIII	22
Piæ petitiones S. Augustini	23
Oratio S. Thomæ Aqu. ante studium	23
Oratio S. Anselmi ante contionem	23
Oratio Sacerdotis antequam Confessiones excipiat	24
Oratio Sacerdotis postquam Confessiones exceperit	24
Oratio Sacerdotis ante et post ipsius Confessionem	24
Formula consecrationis Ssmo Cordi Jesu a Clero recitanda	25
Precatio piacularis ad Ssmum Cor Jesu	26
Actus Dicationis humani generis	27
Oratio ad D. N. Jesum Christum Regem	27
Oratio ad S. Joannem Apost. et Evang.	28
Pro Sacerdotibus	28
Pro vocationibus sacerdotalibus et religiosis	29
Pro pace	29
Formula Absolutionis generalis pro Tertiariis sæcularibus	30
In Benedictione augustissimi Sacramenti	31



OFFICIA PROPRIA

DIOECESIS RATISBONENSIS

PARS HIEMALIS

Die 29 Novembris

B. Friderici a Ratisbona Confessoris

Duplex Oratio

Deus, qui beato Friderico, Confessori tuo, perfectioris vitæ sèmitam demonstrare dignatus es: concede propitius; ut ejus exèmplo terræ despicientes sola cælèstia appetamus. Per Dòminum.

Et post Commemorationem Fe-
licitatis fit Commemoratio S. Satur-
nini Martyris:

Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiòrum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

V. Glòria et honore coronasti eum, Dòmine. **R.** Et constituisti eum super òpera manuum tuarum.

Oratio

Deus, qui nos beati Saturnini, Martyris tui, confectis natalitio pèrfrui: ejus

nos tribue mèritis adjuvâri. Per Dòminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Fridericus, Ratisbônæ in Bavaria ortus et sacro baptismatis fonte ablutus, paternâ in æde pueritiam egit ingenui ànimi candore ac simplicitate præstantem. Uni Deo servire intèntus, terrarum blanditiis ac illècebris valedixit et adhuc adolescens Augustiniânis Eremitis nomen dedit. Cum nec genere, nec doctrina polleret, fratribus laicis adnumeratus est. Hùmilis quidem officio, sed virtute excellens, seniòres ac digniores sanctimoniæ laude æquavit, cælèstibus etiam charismatibus donatus. Caritatis igne incensus tum in Deum, tum in pròximum, humilitatis atque obedièntiæ exèmplo maxime enitescens, morum innocentia præstans, sic vitæ cursum traduxit, ut incredi-

bili ánimo lætitia vilióribus officiis vacáret ac moderatórum império sese perfécte subjiceret.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritatem ætérnam. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

Arcíssima, qua fruebátur, in Deum conjunctio illud effécit, ut, licet assiduus esset in labóribus, numquam tamen ab illo ánimus avérteret. Cujus rei mercédem amplam nimis, vel in terris Deus ipsi detúlit. Olim enim, ut fertur, a sacra communione recipiéndam impeditus, quia in lignária secúnobii officína findéndis secúri truncis incumberere debébat, dum mente Jesum, in sacro altári absconditum, meditarétur, per manus Angéli panem vivum et vitálem e mensa eucharística allatum méruit accipere. Eídem Frideríco, decórem domus Dei summóperè diligénti, et quadam die sacram aram impénsive exornánti, hiemáli témpore vernántes ac suáriter oléntes rosæ per angélicas manus oblátæ perhibéntur. Hæc et álía prodígia patrásse Deus narrátur ad sui dilécti famúli sanctitatem homínibus manifestándam.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam gló-

riæ induit eum, * Et ad patras paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus hocam fidei, et ornávit eum, **Lectio vi**

Cúpiens dissólvi et esse cum Christo, voti compos factus fuit: nam virgibus et méritis plenus tamen hanc vitam cum cælesti beatitáte feliciter commutávit anno millésimo trecentésimo vigésimo nono. Ejus cadáver in Ordinis templo honorífice fuit sepúltum, et ipsius fidei occasióne, multa prodigia operáta est divína Omnipoténtia. Inde Frideríci sanctitátis fama ejúsque cultus in totium duxit, qui longo sæculórum cursu in dies adáuctus est, ut étiam hódie fideélium venerátio ac votivæ supplicatiónis, ad illius sepúlchrum Ratisbónæ, nec non ejúsdem reliquiæ inibi et sparsim in álíis ecclésiis públicæ devotióni expósitæ, testántur. Hunc porro públicum et ecclésiasticum cultum servo Dei ab immemorábili témpore præstitit Pius Papa decimus Sacræ Rítuum Congregatiónis consúlto ratum hábuit et confirmávit.

R. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingréderis in réquiem meam: * Quia tunc vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. **Quia.** Glória Patri. **Quia,**

In I Nocturno Homilia in Evangelio. Nolite timére, de Comm. Conf. non Pont. 2 loco.

In II Laudes post Commemoratióne Feriæ fit Commemoratió Communi:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custodit eam.

V. Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicabitur.

Oratio

Deus, qui nos beáti Saturnini, Mártiris tui, condidisti natalitio pérfui: ejus nobis tribue méritis adjuvári. Per Dóminum.

In opere de sequenti (S. Andreae) Ap. Commemoratió præcedat et Feriæ.

In Commemoratióne B. Friderici in I Vesperis S. Andreae Ap.

Ant. Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo condidit in manu.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et ascendit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beáto Friderico, Confessorí tuo, perfectiónis vitæ sémitam demonstráre dignátus es: concède propítius; ut ejus exémplo terréna despiciéntes sola cælestia appetámus. Per Dóminum.

Die 22 Decembris

B. Petri Canisii

Confessoris

(d. a. ex 21 hujus)

Duplex (m. t. v.)

Ant. Similábo eum viro sapienti, qui ædificávit domum suam supra petram.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

Oratio

Deus, qui ad tuéndam catholicam fidem beátum Petrum Confessórem tuum virtúte et doctrína roborásti: concède propítius; ut ejus exémples et mónitis errántium corda ad salutem respiscant, et fidélium mentes in veritátis confessióne perseverént. Per Dóminum.

Et fit Commemoratió Feriæ:

Ant. O Oriens, splendor lucis ætérnæ, et sol justitiæ: veni, et illúmina sedéntes in ténébris, et umbra mortis.

V. Roráte, cæli, désuper et nubes pluant justum. **R.** Aperíriat terra et gérmínet Salvatórem.

Oratio conveniens.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Comuni, Lectiones Beátus vir, 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Petrus Canisius Noviómagi in Gældria natus est eo ipso anno, quo Luthérus in Germánia, apérta rebellióne, ab Ecclésiá descívit, et Igná-

tius de Loyóla in Hispánia, terréstri militiá abdicáta, ad præliándum prælia Dómini se contulit; Deo nimirum portendénte, quos ille posthac adversários, quem sacræ militiæ ducem esset habitúrus. Colóniæ Agrippinæ, quo studiõrum causa concésserat, primus Germanórum Societáti Jesu nomen dedit; et sacerdotio auctus, summo pópuli Coloniensis clerique consensu, ad Geórgium pontíficem Leodiénsium, et ad Carolum quintum Augústum advérsus Hermánnum archiepiscopum, qui palam hæresim præ se ferébat, legátus est. Ob præcláram sapiéntiam et explorátum rerum usum a Cardináli Augustáno et a pontíficis legátis magnópere expetitus, semel atque íterum Concilio Tridentino interfuit; cujus étiam decreta ex auctoritate Pii quarti Pontíficis Máximi rite per Germaniam promulgánda et in morem inducenda curávit. A Paulo quarto ad convéntum Petricoviénsis ire jussus aliisque a Gregório décimo tertio legationibus obeúndis adhibitus, álacri semper et numquam fracto a difficultátibus ánimo, gravíssima religiõnis negotia tractánda suscepit ac vel inter præsentia vitæ discrimina ad éxitum feliciter perdúxit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi

claritátem æternam. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Divínæ glóriæ amplificándæ intentus, dici vix potest, quot per annos ámplius quam draginta labóres suscepit ærumnásque pertúlerit. Cunctis fere Germaniæ regiõnibus peragrátis, omne hómínium genus salubérrimis institútis públice et privátim excócluit, plúresque urbes atque provinciás vel ab hæreseos contagióne deféndit, vel hærenas inféctas cathólicæ fidei restituit. In Ratisbonénsi et in Augustáno convéntu impérii próceres ad jura Ecclesiæ tuteléndá et mores populórum emendándos excitávit: in Wormatiénsi insolescéntes impietátis magistros ad siléntium adégit. Collégium Germánicum, quod Romæ constitútum fuérat, omni ope provéhere atque amplificáre stúdiút: in académiis sacrárum humanarúmque disciplinárum stúdia, miserándum in modum colápsa, instaurávit; contra Centuriatóres Magdeburgenses plura egrégie conscripsit: et Summam doctrínæ christiánæ, theologórum júdicio et público usu comprobátam, aliáque ad rudiórum institutiónum aptíssima in vulgus édídít. A sancto Ignátio Germanicæ provinciæ moderándæ præfécus, domos et collégia multis in locis cóndidit et evangélicos

operários in omnem Germaniam misit ad erróres stírpium evelléndos, serendámque pietátem. Quam ob rem hæreticórum málleus et Germaniæ apóstolus appellátus et plane dignus hábitus est, qui ad tutándam in Germania religiõnem datus divínitus putarétur.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Índuit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio vi

Inter hæc precatióne crebra, et assídua rerum supernárum commentatióne Deo se conjúgere sólitus erat; quin étiam noctes sæpe íntegras perfúsus lácrimis et abducto a sénsibus ánimo oratióni dabat. A viris princípibus et a quátuor summis Pontíficibus magno in honóre hábitus, ádeo de se demísse sentiébat, ut se ómnium mínimum et diceret et habéret. Viennénssem episcopátum semel, íterum ac tertio recusávit; nec nisi ægérime addúci pótuit, ut illius Ecclesiæ procuratiónem per annum exercéret. Moderatóribus suis obsequentíssimus, parátus erat ad ipsórum nutum omnia relínquere, aut ággredi, étiam cum valetúdinis et vitæ periculo. Virginitátem, quam adolésens Deo vóverat, voluntária sui ipsius coércitióne perpétuo sepsit. Demum Fribúrgi Helvetiórum, ubi plúrimum pro Dei glória

et salúte animárum desudáverat, migrávit ad Deum, duodécimo Kaléndas Januárii, anno millésimo quingentésimo nonagésimo séptimo, ætátis suæ séptimo supra septuagésimum. Mórto, tamquam parenti público, civitas univérsa concúrsu prope incredíbili et multis lácrimis parentávit. Sepúlchrum ejus prodigiórum fama duóbus ámplius sæculis tota Germania incláruit: e quibus quátuor rite probátis, Pius nonus Póntifex Máximus strenuísimo cathólicæ veritátis propugnatóri cælitum Beatórum honóres decrevit.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Hómilia in Evangelium Nolite timere, de Comuni. Conf. non Pont. 2 loco.

In Quatuor Temporibus IX Lectio de Homilia Feriæ.

Et ad Laudes fit Com. Feriæ.

In II Vesperis fit Com. Feriæ:

Ant. O Rex Géntium, et desiderátus eárum, lapisque anguláris, qui facis útraque unum: veni, et salva hómínem, quem de limo formásti.

V. Roráte, cæli, désuper et nubes pluant justum. **R.** Aperiatur terra et gérmínet Salvatórem.

Die 17 Januarii

Beati Gamelberti

Confessoris [76]

Duplex

Oratio

Deus, tuorum glória sacerdotum, præsta, quæsumus; ut beati Gamelberti, Confessoris tui, cujus festa gerimus, sentiâmus auxilium. Per Dñm.

Et fit Commemoratio præcedentis (S. Marcelli Papæ et Mart.):

Ant. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

℣. Justus ut palma florêbit.
℞. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio

Preces pòpuli tui, quæsumus, Dñme, clemènter exaudi: ut beati Marcèlli Martyris tui atque Pontificis mèritis adjuvemur, cujus passiõne lætâmur.

Deinde Commemoratio S. Antonii Abbatis (duplex):

Ant. Hic vir despiciens mundum et terrèna, triumphans, divitias cælo cõdidit ore, manu.

℣. Justum deduxit Dñmus per vias rectas. **℞.** Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio

Intercèssio nos, quæsumus, Dñme, beati Antonii Abbatis commendet: ut, quod nostris mèritis non valèmus, ejus patrocínio assequámur. Per Dñm.

In II Nocturno

Lectio iv

Gamelbertus, sæculo octavo, nobilibus parentibus in Bavaria inferiore natus, in militiâ sæculari, ad quam impellebatur, postposita, Christo Dño vero Regi militare prætulit, et gregem fidelium pane spiritali pasce concupivit. Ideo sacerdotum auctus, cum, patre mortuo, possessiones in vico Michæle bûch pòsitas et ecclèsiâ hereditate accepisset, illius regionis incolis per multos annos non tam dñni jure profuit quam boni pastòris zelo profuit. In primis pacis amator et ipse cum omnibus pacem servabat et omnibus modis conciliare dissidentes studèbat. In vestitu et colloquio humilitate insignis erat, ac solitudinem et vigiliâs mirum est quantòpere sit amplèxus, suavissima cum Deo delectatus unione.

℞. Honèstum fecit illum Dñmus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem ætèrnâ. **℣.** Justum deduxit Dñmus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

Jam ætate provectus Romanum peregrinari stavit, ut sanctorum Martyrum ac præcipue Apostolorum Petri et Pauli memórias, trophæa ac gloriõsa sepùlchra honoraret,

et omnique exèmplis et præsidio virtutis suæ robur addebat. Quo in itinere ad virum quendam honèstum devèntum, ejus infàntem modo natum et sacro baptisimi fonte ab dicta suscepit et Uttònem nomen ejus reliquum vitæ tempore in bonis opèribus pro animarum salutè impendit. Ut sanctius includeret, in atrio quatuor cruces erexit, quas nunquam transgressus est nisi semel, ut agricolas atrociter lapidantes pacaret. Atque ab anno Quadragesimæ in cellam juxta ecclèsiâ construcit, ut ab omnibus remotus solum cælèstia meditarètur, et recipere, et vespere deum pane atro cum sale et aqua vescebatur.

℞. Amavit eum Dñmus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **℣.** Induit eum Dñmus lorica m fidei, et ornavit eum. Et.

Lectio vi

Postrèmo còrporis debilitate fractus, cum pròximum suæ vitæ exitum præsentiret, familiaribus ad se convenientibus successorè suum designavit Uttònem illum, eique bona sua et ecclèsiâ tradidit eo potissimum consilio, ut, quod ipse dudum optavisset, ille perficeret et monasterium construeret ad augendum Dei cultum. Deinde gravi morbo corréptus, et Ecclèsiæ sacramentis de more suscep-

tis, animam Deo placide reddidit die decima septima Januarii. Ejus corpus in ecclèsiâ sancti Michælis Archàngeli sepultum tam fidelium confluèntium devotiõne, quam gratiarum et pròdigiorum celebritate adeo inclàruit, ut Gamelbertus omnium anxiorum adjutor egregius vocari mereretur. Denique quoniam viri Dei memòria ab immemorabili tempore pie colebatur, cultum Pius Papa decimus multorum annuè precibus benigne confirmavit, et has lectiones históricas recitari indulsit.

℞. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **℣.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælèstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Sint lumbi, de Communi Conf. non Pont. 1 loco.

Pro S. Antonio:

Lectio ix

Antónius Ægyptius, cum ingressus ecclèsiâ ex Evangelio audivisset: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus: tamquam ea sibi dicta essent, sic Christo Dño obtemperandum existimavit. Itaque, vendita re familiari, pecuniam omnem pauperibus distribuit, ipseque in vastam

Ægypti solitudinem recessit. Virtutum omnium studio ita incensus fuit, ut, quemcumque videret aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari studeret. Nihil igitur eo continentius, nihil vigilantius. Tanto terrori demonibus erat, ut multi per Ægyptum ab illis agitati, nomine Antonii super ipsos invocato, liberarentur. Ita, sanctitate et miraculis clarus, cum innumerabiles sui instituti imitatores haberet, annum agens quintum ultra centesimum, e vita migravit decimo sexto Kalendas Februarias.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes pro Commemoratione S. Antonii:

Ant. Similabo eum viro sapienti, qui edificavit domum suam supra petram.

V. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. **R.** Stulam gloriæ induit eum.

Oratio

Intercessio nos, quæsumus, Dómine, beati Antonii Abbatis commendet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocinio assequámur. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti (Cathedra S. Petri Ap. Romæ), Commemoratio S. Pauli Apostoli, precedentis, S. Antonii Abb. ac S. Priscæ Virg. et Mart.

Pro Commemoratione B. Gamelberti in I Vesperis Cathedræ S. Petri Ap. Romæ:

Ant. Hic vir despiciens mundum et terræna, trium-

phans, divitias cælo condidit ore, manu.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, tuorum glória sacerdotum, præsta, quæsumus; ut beati Gamelberti Confessoris tui, cujus festo gërimus, sentiámus auxiliū.

Deinde pro Commemoratione S. Antonii:

Ant. Similabo eum viro sapienti, qui edificavit domum suam supra petram.

V. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. **R.** Stulam gloriæ induit eum.

Oratio

Intercessio nos, quæsumus, Dómine, beati Antonii Abbatis commendet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocinio assequámur.

Postea pro Commemoratione S. Priscæ:

Ant. Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in ætérnum.

V. Spécie tua et pulchritudine tua. **R.** Inténde, prospere procéde, et regna.

Oratio

Deus, quæsumus, omnipotens Deus: ut, qui beatæ Priscæ Virginis et Mártiris tuæ natalitia cõlimus, et annua solemnitate lætémur, et tantæ fidei proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Die 19 Januarii

S. Erhardi

Episcopi et Confessoris,
Patroni minus principalis
Diocesis

(d. a. ex 8 hujus)

Duplex majus (m. t. v.)

Oratio (de Communi)

Deus, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Erhardi Confessoris tui atque Pontificis veneranda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salutem. Per Dóminum.

Et sit Commemoratio præcedentis (Cathedræ S. Petri Ap.):

Ant. Dum esset summus Pontifex, terræna non méruit, sed ad cælestia regna gloriósum migrávit.

V. Elegit te Dóminus sacerdotem sibi. **R.** Ad sacrificandum ei hóstiam laudis.

Oratio

Deus, qui beato Petro Apostolo tuo, collátis clavibus regni cælestis, ligandi atque solvendi pontificiū tradidisti: concede; ut intercessiónis ejus auxilió, a peccatorum nostrórum néxibus liberémur.

Deinde Commemoratio S. Pauli Apostoli:

Ant. Sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis, et Doctor Géntium, intercède pro nobis ad Deum, qui te elegit.

V. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole. **R.** Prædicátor veritátis in univérso mundo.

Oratio

Deus, qui multitudinem Géntium beati Pauli Apostoli prædicatiónem docuisti: da nobis, quæsumus; ut, cujus commemoratiónem cõlimus, ejus apud te patrocinia sentiámus.

Postea Commemoratio Ss. Mariæ et Sociorum Mm.:

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

V. Lætámini in Dómino et exultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Exaudi, Dómine, pópulum tuum cum Sanctórum tuórum patrocinio supplicántem: ut et temporális vitæ nos tribuas pace gaudere; et ætérnæ reperire subsidium.

Denique Commemoratio S. Canuti Regis, Mart.:

Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

V. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. **R.** Et constitústi eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Deus, qui ad illustrándam Ecclésiám tuam beátum Canutum regem mártýrii pal-

ma et gloriósis miráculis decoráre dignátus es: concéde propítius; ut, sicut ipse Dóminicæ passiónis imitátor fuit, ita nos per ejus vestigia gradiétes, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur. Per eúdem Dóminum.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Fidéls sermo, 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Erhardus gente Scotus, nóbili familia natus a púero pietátem cum líteris conjúxit: líbricæ ætátis lasciviam bonórum óperum exercítiis, cælestisque grátia armis subégit, indiésque salutáris vitæ cursu progrédiens plúrimum, susceptis sacrórum órdinum grádibus episcopi dignitáte honorátur. Quo in múnere, tamquam lucérna candelábro impósita, ita fulsit et elúxit, ut splendóre sanctitátis, virtútumque claritúdine cæca multórum péciora irradiárit. Quin et noctu contemplatióni cælestium, intérdiu sacrís contió-nibus vacábat; tum spirituális perfectiónis stúdio únice intentus, virginitátem ad extrémum usque spíritum retinuit illibátam.

R. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

Lectio v

Céterum Hildúlpho Trevírorum episcopo prænasticæ vitæ desidério se magistráto abdicánte, Erhardus ne fratri sufficeretur, relictá antea cum natáli solo per ámpli patrimonii cénsibus liberis per Germániam cum Albóno item fratre paris sanctimónie et status adjútus piórum beneficéntia, quam insignis vitamórumque próbitas conciliábat, quatuórdecim monasteriis excitávit. Dévius a catholicæ religionis trámite tam miráculis quam salutáribus mónitis et exémpis ad viam salutis redúxit. De quo illud memorábile, quod Ratisbóna, præ nóbili Baváriæ civitáte, divino instinctu in Alsátiam digressus, Ætichónis ducis gentis ejus filiam a nativitate captam óculis post catechésin unda salutári (Ottíliæ nómine indito) perfúsam simul fidei et córporis lúmine collustrávit. Quam et póstmodum velo sanctimóniálium ornátam Christo dicávit.

R. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

Lectio vi

Regréssus Ratisbónam, Baváros et Nóricos præceptis cristiánæ fidei imbútos, patérnæ hortatiónis stimulis confirmáre non cessávit: tum

utrinque divíni cultus et humanæ salutis promovendæ celo accénsus, úberem Ecclesiæ hórreo messem intulit. **Ubi** demum, cum pro Ecclesiæ ac religionis dignitáte molestas et acerbitátes plúrimas tenuisset, cursu vitæ laudabiliter consummáto, ad cæli patriam evolávit sexto Idus Junii. Quem dono propheta ac miráculis clarum Leonis Póntifex célebriter sanctum número adscripsit anno salutis millésimo quinquagesimo secúndo. Ejus corpus in celebri ejúsdem urbis monasterio (inférius appellánt), quod quo tamquam ádvenæ latibulum præbuit, humátum est.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et peruenit ad cælestia regna. Ipse. **Gloria Patri. Ipse.**

In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

Lectio vii Cap. 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardéntes in má nibus vestris. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homília 13 in Evang.

Sancti Evangelii, fratres caríssimi, apérta vobis est lectio recitáta. Sed ne aliqui-

bus ipsa ejus planities alta fortásse videátur, eam sub brevitéte transcurrímus, quatenus ejus expositio ita nesciéntibus fiat cógnita, ut tamen scientibus non sit onerosa. Dóminus dicit: Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos enim præcingimus, cum carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed quia minus est, mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat, et bonis opéribus insudáre, prótinus ádditur: Et lucernæ ardéntes in má nibus vestris. Lucernas quippe ardéntes in má nibus tenémus, cum per bona ópera próximis nostris lucis exémp-la monstrámus. De quibus profecto opéribus Dóminus dicit: Lúceat lux vestra coram hominibus, ut videánt ópera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícám fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio viii

Duo autem sunt, quæ jubéntur, et lumbos restringere, et lucernas tenere: ut et munditia sit castitátis in corpore, et lumen veritátis in operatióne. Redemptóri étenim nostro unum sine áltero placere nequáquam potest: si aut is qui bona agit, adhuc luxúriæ inquinaménta non desérít: aut is qui castitáte præ-

éminet, necdum se per bona ópera exércet. Nec castitas ergo magna est sine bono ópere, nec opus bonum est ali-quod sine castitate. Sed et si utrúmque ágitur, restat, ut quisquis ille est, spe ad sup-érnam pátriam tendat, et ne-quéquam se a vítiis pro mundi hujus honestáte contíneat.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dómnum suum, quando revertátur a nuptiis. **V.** Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. **Et.** Glória Patri. **Et.**

Pro Ss. Mario et Soc. Mm.:

Lectio ix

Márius Persa, nobíli loco natus, cum Martha cón-
juge pari nobilitáte, et duobus filiis Audiface et Abachum, Romam venit Cláudio impe-
ratóre, ut Mártyrum sepúlchra venerátur. Ibi Christiános in víncula conjéctos fovébant, et ópera ac facultátibus suis sustentábant, et Sanctórum cörpera sepeliébant. Quam ob rem comprehénsi omnes, cum nec impiórum minis, nec ter-
róre commoveréntur, ut diis sacrificárent; primum fústibus debilitáti, deinde fúnibus attrácti, tum admótiis candéntibus lámínis combústi, et ún-
gulis férreis excarnificáti sunt. Postrémo præcisís manibus, et ad collum alligátis, ducti per médiám urbem, via Cor-

nélia ad tértium décimum ab Urbe milliárium, in eum lo-
cum, qui Nymphæ dicebátur, necántur: ac primum Martha, quæ virum ac filios ad sup-
plicia pro Jesu Christi fide constánter perferénda, vehe-
ménter fúerat cohortáta: mox céteris in eádem arenária cer-
vices abscondúntur, eorúmque cörpera conjiciúntur in ignem. Quæ semiústa, Felicitas ma-
tróna Romána nobílis, colligénda, et in suo prædió sep-
peliénda curávit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes pro Commemora-
tione Ss. Martyrum:

Ant. Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt: nolite timére: multis passéribus meli-
ores estis vos.

V. Exsultábunt sancti in glória. **R.** Lætábúntur in cubilibus suis.

Oratio

Exáudi, Dómine, pópulum tuum cum Sanctórum tuórum patrocínio supplicán-
tem: ut et temporális vitæ nos tribuas pace gaudére; et æternæ reperire subsidiúm.

Deinde pro Commemoratione
S. Canuti:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam æternam custódit eam.

V. Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Deus, qui ad illustrándam Ecclésiám tuam beátum

Canátum regem martýrii pal-
ma et gloriósis miráculis de-
coráre dignátus es: concéde propítius; ut, sicut ipse Do-
mínicae passiónis imitátor fuit, ita nos per ejus vestigia gra-
diéntes, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur. Pereúm-
dem Dóminum.

In Vesperis Commemoratio se-
quentis (Ss. Fabiani Papæ et Se-
bastiani Mm.), ut sequitur:

Ant. Istórum est enim re-
gnum cælórum, qui contemp-
serunt vitam mundi, et per-
venérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sán-
guine Agni.

V. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. **R.** Et gloriá-
mini, omnes recti corde.

Oratio

Infirmítatem nostram réspice, **I** omnipotens Deus: et quia pondus propriæ actionis gra-
vat, beatórum Mártyrum tuórum Fabiáni et Sebastiani in-
tercésio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Die 3 Martii

S. Cunegundis
Imperatricis, Virginis
Duplex majus

Oratio (de Communi)

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beatæ Cunegundis Virginis tuæ festivitáte gaudemus; ita pie devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Et in Quadragesima fit Com-
memoratio Feriæ.

In I Nocturno, si sumendæ sint
de Communi, Lectiones De virgi-
nibus, I loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Cunegúndis, Sigefrídi Pala-
tíni filia, etsi Henrico Romanórum imperatóri in ma-
trimónium collocáta, tamen eódem annuente, intáctum vir-
ginitátis florem ætérno Regi consecrávit. Dæmone vero, tantæ virtútis hoste, invídó-
rum criminatiónes excitánte, Augústa in thori violáti sus-
picióne apud marítum ven-
nit. At illa per ignitos vóme-
res illæsa nudis pédibus in-
cédens suam ómnibus integritátem probávit.

R. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirábiliter dextera tua. **V.** Spécie tua et pulchritúdone tua inténde, próspere procéde, et regna. **Et.**

Lectio v

Insígnem quoque in páupe-
res et ecclésiás beneficén-
tiam osténdit. Cum enim ve-
ram se orphanórum et lan-
guéntium ómnium paréntem præbúisset, sancto Michaéli et Apostolórum princípibus, et Protomártyri Stéphano bá-
sílicas excitávit, ac vectigáli eas perámpro dotávit, multa-
que monastéria utriúsque se-
xus fundávit, et singula di-
vérsis ornamentis, prædiis ac utensílibus, juxta imperiálem magnificéntiam ditávit. Hen-

río demum vita functo (pro
cujus ánima solémnes ubique
preces et eleemósynas ingén-
tes faciéndas curávit), abjéc-
tis, ut jam dudum optáverat,
rerum externárum curis, de-
pósita púrpura, præcísis crí-
nibus, qui adhuc in monasté-
rio asservántur, fidei ánulum
ab archiepíscono et vírginum
sacrárum velum accépit.

R. Dilexisti justítiam, et
odísti iniquitátem: * Proptér-
ea unxit te Deus, Deus tuus,
óleo lætitiæ. **V.** Propter veri-
tátem, et mansuetúdinem, et
justítiam. **Proptérea.**

Lectio vi

Porro soróribus Deo dicátis
veræ submissiónis et vir-
tútum ómnium exémplo præ-
lúxit. Numquam plus quiétis,
labóris vero non minus, quam
ceteræ capiébat. Vigílias, pre-
ces, rerum sacrárum lecti-
onem ad multam noctem pro-
ducébat, féssaque non nisi in
strato cilício quiescébat. Ergo
quíndecim annis in iis labó-
ribus ac virtútum exercitati-
one consumptis, ad perpétuam
quiétem vocátur a Dómino,
qui ejus vitæ sanctitátem cre-
bris étiam miráculis illustrá-
vit. Nam et viva cænóbii
incéndium crucis signo res-
tínxit; et mórtua quam plú-
rimos váriis morbis affectos,
ad suum sepúlchrum pie acce-
dentes, curávit. Sacrum ejus
corpus Bambérgæ in sanctó-
rum Petri et Pauli basilica re-
ligióse cónditum asservátur.

R. Afferéntur Regi vírgines
post eam, próximæ ejus * Af-
feréntur tibi in lætítia et ex-
ultatióne. **V.** Spécie tua et
pulchritúdi-ne tua inténde, pró-
spere procéde, et regna. **Af-
feréntur tibi. Glória Patri. Af-
feréntur tibi.**

In III Nocturno Homilia in Ev-
angelium Accesserunt ad Jesum,
de Communi Virg. 3 loco.

In Quadragesima IX Lectio de
Homilia Feriæ et fit ejus Comme-
moratio in Laudibus.

In Vesperis Commemoratio se-
quentis (S. Casimiri), in Quadra-
gesima Feriæ, ac S. Lucii I Papæ
et Martyris.

Pro Commemoratione sequentis
in Vesperis præcedentis:

Ant. Similábo eum viro sa-
piénti, qui ædificávit domum
suam supra petram.

V. Amávit eum Dóminus,
et ornávit eum. **R.** Stolum
glóriæ induit eum.

Oratio

Deus, qui inter regáles de-
licias et mundi illécebras
sanctum Casimírum virtúte
constántiæ roborásti: quæsu-
mus; ut ejus intercessióne
fidéles tui terréna despiciant,
et ad cæléstia semper aspi-
rent. (Per Dóminum.)

Pro Commemoratione S. Lucii:

Ant. Iste sanctus pro lege
Dei sui certávit usque ad mor-
tem, et a verbis impiórum
non tímuit: fundátus enim
erat supra firmam petram.

V. Glória et honóre coro-
násti eum, Dómine. **R.** Et con-

stituísti eum super ópera má-
nuum tuárum.

Oratio

Deus, qui nos beáti Lúcii
Martyris tui atque Pon-

tificis ánnua solemnitate læ-
tíficas: concéde propítius; ut,
cujus natalítia cólimus, de
ejúsdem étiam protectióne gau-
deámus. Per Dóminum.

Index alphabeticus

	pag.
Cunegundis Imperatr., Virg. 3 Martii	13*
Erhardi Ep. et Conf., Patr. minus princip. Diœc. 19 Jan.	9*
Friderici a Ratisbona Conf. 29 Nov.	1*
Gamelberti Conf. 17 Jan.	6*
Petri Canisii Conf. 22 Dec.	3*